JONAS de ELVERVELDT

CARMEN AD FRIDERICUM SECUNDUM, DANIÆ REGEM.


Lubecæ 1580

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 287 [35,-177 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 287 [35,-177 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 287 [35,-177 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 287 [35,-177 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 287 [35,-177 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 287 [35,-177 4°]

35,-177,-4°

(LNbis 287) DA Bot

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 287 [35,-177 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 287 [35,-177 4°]



JNSIGNIA FRIDERICI II.
DANORVM REGIS, &c.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 287 [35,-177 4°]

SERENISSIMO

ET POTENTISSIMO

Domino FRIDERICO *ſecundo, Daniæ, Noruegiæ, Vandalorum Gothorumq; Regi, Duci Schleſuigæ & Holſaciæ, Comiti in Oldenburg & Delmenhorſt, &c. Domino ſuo clementiſsimo.*

INclite magnanimis FRIDERICE parentibus orte,
Nobile regalis cui dat origo genus;
Qui regis æterno nemorales fœdere Cymbros,
Altaq; mœnaleo ſceptra ſub axe tenes:
Si vacat aönijs aures præbere Camœnis,
Imperij nec te grande moretur onus:
Accipe quos primo verſus tibi luſimus æuo,
Accipe; ſint animi munera parua mei.
Non hic ſcurriles tractant mendacia Muſæ
Nullus & in noſtro carmine pollet amor.
Hic tua ſpectabis propriæ cunabula ſtirpis,
Prouenit his terris regius vnde decor;
Inueniesq; tuas, Rex inuictiſsime, laudes,
Iamq; leges Patris, iam quoq; nomen Aui:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 287 [35,-177 4°]

Non tamen hoc penitus maiorum facta labore
Exequor, & morum militiæq; decus.
Nec loquor hic cunctos, quos nunc aſſumis honores,
Parua tuum nomen dum Cynoſura ſtupet.
Sufficit hic tantum per ſumma cacumina rerum
Ire; ſequens tradet nam grauiora dies.
Intereà portus ſtudij placidiſſimus eſto,
Id pretium magni dulce laboris erit,
Et mihi vertatur nullo, Rex, quæſo pudori,
His mea quod terris cognita fama minus.
Nondum Pïerides Muſæ fecere poëtam,
Sed caput hoc tantum contegit vda ſalix.
Parua tamen poſthac ſi feceris otio nobis,
Munificam Muſis tradideriſq; manum.
Tum quoq; Caſtaleos olim ſuperabimus omnes,
Noteſcetq; magis nomen in orbe meum.
Forſitan & virides cingent mea tempora Lauri,
Auribus Heroum forſan & apta canam:
Et, modo ſi viuos fas eſſet ad ardua tolli
Sidera, ſi plures fingere velle Deos,
Te viuum Proäuos inter, me Vate, priores
Tolleret ex imo regia fama ſolo,
Iuppiter haud maius, nec haberet nomen Apollo,
Gentibus hic quamuis, & ſacer ille fuit.
Ergò grata mei tibi ſint monumenta laboris,
Hiſq; faue noſtris rex FRIDERICE modis.

Hos

Hos etenim tenui cernens in carmine, laudis
Non olim poterit non memor eſſe tuæ.
Nanq; dies regum loculos conſumit, & arces;
Poſteritas ades nil ſinit eſſe diu:
Sed quem pierio celebrarunt carmine vates
Huius poſt cineres fama ſuperſtes erit.

Tuæ celſitudinis
humilis ſeruus,

Ionas de Eluerueldt
Holſatus Ioh: Fil:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 287 [35,-177 4°]

QVis decor armorum? quid vult exorta repentè
Hæc noua terrarum facies? cur claſsica raucos
Pulſa iterant ſonitus toties? cur Danica regna,
Holſaticumq́ tubæ ſtrepitu nemus omne remugit?
Phæbe mihi cauſſas memora, voſq́ Aöne natæ
Eſte mihi faciles, quibus eſt fama ardua curæ:
Tuq́ adeo FRIDERICE meos Inuicte labores
Reſpice fronte precor placida, quem maximus orbis
Danorum imperij dominum ſceptriq́ potentem
Accipit; haudq́ ſacras atauorum deſpice laudes.
Terra iacet magno ſub ſidere Mœnalis vrſæ
Holſata, Dithmariam contrà, nec balthica longè
Litora; diues agri, denſis celeberrima ſyluis.
Parte aliqua, madidos imbres vbi nunciat Auſter,
Billa fl: Labitur exiguus ſinuoſo gurgite BILLA,
Billa ſalutiferos curſu qui diuidit agros,
Agros gambriuios: proniq́ cubilia ſolis
Albis fl: Reſpicis ALBI pater, teq́ in vada ſalſa recondis.
Traua fl: Et TRAVA, veliuolis diues Traua puppibus, almos
Aſpicit Auroræ radios: triſteſq́ cauernis
Æolus emittit Boreas, qua ſpumifer vndis
Oedera & Stora fl: OEDERA findit agros; & aprico flumine STORA
Piſcibus indulget, veteres tenuere coloni
Holſati vndè dicti. Nomina, quod ſyluas regio iacet inter opacas.
Hanc alti patrio ſemper de iure feruntur
Holſaciæ coluiſſe duces: hic regius ortus

Hic

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 287 [35,-177 4°]

Hic fuit, imperij claros hic inclita quondam
Dania poſcebat dominos, regeſq; vocabat:
At tu, qui longa noſtras ab origine ſyluas
Incolis, ipſe mihi ſtirpes, Siluane, recenſe.
Tempore luctifico quondam gens Danica paſsim
Ericum regem quo funere flebat ademptum,
CHRISTOPHORVS cæpit regnum, ſceptriq; decorem; Chriſtophorus Rex Daniæ.
Indè, vbi principibus Bauaris domus inclyta ſurgit.
Ille iugis populos tenuit felicibus, ille
Rurſus ab integro Dano cum ſanguine miſta
Holſaciæ voluit tranſmitti in fœdera gentem:
Hinc ingens ſpecimen meritorum & pignus amoris
Edidit, & partem regni gentemq; regendam
Tradidit Holſaciæ dominis, uſumq; dicauit;
Nomine quam priſcos iuuat appellare ducatum:
Haud tractum exiguum terræ, quà balthica pontem
Flumina Coldingæ aſpiciunt, quaq; ipſe Liuoldi Leuenſowe.
Amnis ab Holſatis illas nunc ſeparat oras.
Vtq; ferè extremo in ſenio vix corpore priſcæ
Sufficerent vires, dulcem iam mente quietem
Prætulit, & regni ſedes commiſit ADOLPHO. Adolphus, Gerhardus & Henricus cognomine Ferreus Comites Holſ.
Quem comes (at fato raptus grauiore) GERHARDVS
Cymbrorum genuit terris: cui FERREVS ille
HENRICVS pater eſt; firmum ſi credere famæ.
Nec quod ſtirpe fuit Bauaris alienus, & alto
Se natum veteris iactabat ſanguine Cymbri,

Obſu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 287 [35,-177 4°]

Obfuit : ingenij probitas, candorq́, fideſq́
Effecêre, ſacros vt Adolpho offerret honores,
Injiceretq́ humeris regnum : ſed ferre ſenectus
Sera vetat, canuſq́ nimis tantum abnuit ille,
Imperioq́ dedit commiſſas ſubdere gentes
Oldenburgiaco iuueni, quem nouerat, atq́
Hæredem regni natumq́ aſſciuerat ante.
Chriſtianus I. Ille à CHRISTOPHORO viduatam fœdere tædæ
DOROTHEEN capit, & primus quoq́ nomine Chriſti
Gaudet : at inde petens Venetas, Romamq́ ſuperbam
Vicit iter tandem, atq́ Alpes, Aponumq́, ſoliq́
Euganei vidit populos, altoſq́ receſſus
Appennine tuos : & nunc in vallibus imis
Frigidulos fontes oculis luſtrauit & agros,
Eximios proceres quondam de gente Latini
Quos coluiſſe ferunt : nunc & regalia magnus
Tecta adijt, ſummiſq́ obductas mœnibus vrbes;
Splendida magnifico celebrans conuiuia luxu
Cum ducibus, multiſq́ trahens ſermonibus horas :
Et nunc crateres magnos, gemmiſq́ politos
Nunc auro intextas veſtes, in pignus amoris,
Ipſe hoſpes præſens inſigni laude ferebat.
Iamq́ hominum varios mores, optataq́ Romæ
Mœnia, iamq́ alias alio ſub ſidere terras
Nouerat, & Latij tandem delatus ab oris
Deſertas regni ſedes, terraſq́ reuiſit.

Quas

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 287 [35,-177 4°]

Quas illic laudes, quæ non portauit honoris
Munera! nam primum ſub eo miteſcere iuſsi
Dithmariæ populi, ſacraſq; agnoſcere leges
Cæſaris auſpicio; atq; Ducum nomenq; decuſq;
Holſaciæ peperit dominis, legeſq; repertas
Addidit, & longè titulis illuſtribus auxit.
Ergò quis ingenium taceat, quis pacis amorem,
Virtuteſq;, animumq; & tanti pectora Regis?
Salue ingens patriæ lumen, tua fama manebit
Donec roſtratæ ſtabunt ad balthica puppes
Litora, donec erunt Cymbris ſua commoda ſyluæ.
Poſtea commiſſas patriæ moderatur habenas
IOANNES virtute potens, nec Palladis altæ
Arte minor, rapidis ſiue ingerat Oppida flammis,
Seu quaſſare cauis munitas turribus vrbes
Obſidione velit, cuneoſue obducere caſtris.
Suecia teſtis erit: ſed arces vt Marte ſiniſtro
Dithmariæ populos armis in prælia poſcit,
Hinc turmis equitum cæſis & milite fracto
Deficit, & pugna victus Rex ipſe feroci
Vix fugientis equi curſu dilabitur oris.
Heu ſcelus! heu rabies! equitum quod lumina tellus
Deuorat! ah capiunt vix mœſta cadauera foſſæ.
Ipſe etiam periјt, gladio ſublatus, ADOLPHVS,
Quem prope glandis OTHO ferratæ concidit ictu,
Concidit, & roſeo finiuit ſanguine vitam:

Dithmarſis iugum impoſitum. Comites Holſati Duces creati.

Ioannes Rex.

Adolphus & Otho Comites Oldenb: ſublati.

B *Ambo*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 287 [35,-177 4°]

Ambo pares animis, generoſi ſtirpibus ambo,
Delma vbi turrigeras ſaxoſus colluit arces: Flu: prope arc: Delmenhorſt.
Poſteritas quos inter eos nunc grata recenſet,
Spargere fulmineo carum quibus enſe cruorem
Accidit, & pulcra mortem pro laude paciſci.
Sed cladem in Danis Sueci vt ſenſere cruentis Sueci defecerunt.
Ecce iterum inſurgunt armis, Regiq; recuſant
Seruitium; fidei immemores, & fœderis icti.
Nomine CHRISTIANVS ſequitur mox fata ſecun- (dus Chriſtianus II.
Poſt patris, argento qui pingues vbere terras
Finibus adiecit rurſus, qua pulcra gubernat
Nunc conſanguineus ſceptri diademata Suecus.
At, nimis indulgens proprijs adfectibus, idem
Perdidit acceptum multo cum ſanguine regnum.
Cumq; inter Regem atq; equites diſcordia latè
Serperet, ac odium propria cum gente foueret,
Neſcio quo ductus fato: cerne optimus oræ
Holſaciæ eligitur Princeps, plenoq; vocatu
Suſcipit oblatas regni FRIDERICVS habenas.
Inde nouas ſedes belli non inſcius arte
Collatis tentat ſignis, atq; enſibus hoſtem
Opprimit: ille fugam poſitis petit auius armis.
Tum vero exarſit Regi furor oſſibus ingens,
Nec caruit ſtimulis animus, celereſq; phalanges
(Oblitus validæ cladis, regniq; ruinæ)
Et pedites rurſus Danos deducit in agros;

Siue

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 287 [35,-177 4°]

Siue mori, cauſſam ferro ſeu vincere promptus.
Verum iterum latebras quærentem Danica pubes
Ad regem magno captum clamore trahebat,
Nexaq; detinuit duris ibi corpora vinclis
Carceribus poſcens arx Sonderburgia pœnas.

Chriſti-anus Sonder-burgæ vinculis detentꝰ.

Protinus oblatas FRIDERICVS nomine primus
Occupat imperij ſedes, & nobile regnum.

Frideri-cus I.

Haunia quem turmis equitantem cominus horret,
Robore iam fractis miſerabilis Haunia muris.
Danicus hunc omnis populus poſcebat, equeſtris
Ordinis aſſenſu, patriæ vt pax rurſus in oris
Creſceret, atq; ducis poſſet defendier armis.
Iamq; parat Princeps noua prælia, iamq; frementes
Conuocat edicto Cymbros (ſuperabile belli
Haud genus) eq; illis tandem qui bella miniſtrent
Præſtantes virtute legit, cæptumq; ſecundo
Expedit auſpicio, & Regem certamine poſcit.
Intereà magnum RANTZOV decus ordinis aurei
Et comes, hæc lumen quo vix verè aurea maius
Cymbrica terra tulit, nitidis ſeu cominus armis,
Siue eſſet culti certandum dotibus oris.

Ioannes Ran-tzou eq: au-rat:

Hunc dux ipſe equitum (fama haud obſcura) cateruis
Præficit, & pugnæ gnarum iubet eſſe magiſtrum.
Cumq; omnes circum clypeis animoſà dediſſent
Pectora, quà pulcras exporrigit Haunia turres
Armati tendunt, nudoq; ſub æthere campos

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 287 [35,-177 4°]

Haunia obſeſſa.

Obfuſcant equitum turmis, & milite cingunt
Mœnia, iam fœdos donec conuertere morſus
In quaſuis turpes eſcas, catuliq;, canumq;
Murium & in carnes, ardor ſuadebat edendi.
Arboris vtq; nouos fructus, æſtate ſub ipſa,
Naturam exuere, & tractis vileſcere rugis
Cernimus, indecores menſæ triſteſq; palato,
Dum Boreæ ingenitos exurunt frigora ſuccos,
Solq; parens frugum caput inter nubila condit:
Carnibus haud aliter putridis & turpibus eſcis,
Atq; fame abſumptos videas tabeſcere ciues.
Indè viros ſuperat duris in rebus egeſtas
Iam tandem miſeros, reſeratiſq; vndiq; clauſtris
Portæ aditum monſtrant; nec enim via clauditur hoſti.
Ergo equites pediteſq; ſimul clamoribus altis
Ocyus incedunt, glomerantq; ad mœnia curſum
Ipſe etiam medios inter Fridericus ouantes

Haunia capta.

Vertitur ad portas curſu ſublimis, & vrbem
Obſidione capit victam, ducitq; trophæos;
Dum ſuperis animo fretus per Danica regna
Exultat, poſcitq; hoſtem, ferroq; reſcindit
Imperio obſtantes populos; ſed & ille nocendi
Artes intentat rurſus, regemq; repoſcit
Ad pugnam. ſurgitq; iterum Fridericus in iram
Iam memor euentus priſci ſortiſq; futuræ.
Nec mora propitium Regi victoria Martem

Annu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 287 [35,-177 4°]

Annuit; inde hoſtem pugna ſupereminet, atq;
Diffidentem armis iterum, latebraſq; petentem
Accipit, & captum tenebroſo incarcere condit.
Et ſic (horrendum dictu) regio illa feroci
Bis pugna tentanda fuit; vada ſanguine fumant
Balthica adhuc, reſonantq; ingentes Manibus agri.
Verum vt militiæ, ſpreto iam Marte labores
Finierat, tardo ſoluebat frigore membra,
Poſtremo vitæ in curſu viridiq; ſenecta
Cæleſtem expirans animam. nunc ſpiritus orbes
Imolit æthereos, & odoris abdita tumbis
Corpora Schleſuigæ diua ſeruantur in æde.

Fridericus Schleſuigæ ſepultus.

Tertius hunc ſequitur generoſi nominis hæres
CHRISTIANVS, nulli veterum pietate ſecundus.

Chriſtianus 3.

Ille ſacros rigido coluit pro Marte libellos,
Ornauitq; ſcholas meritis, voluitq; ſacratum
Chriſtiadum latè regnare per Oppida dogma;
Atq; cuculligeris vulgatam â fratribus orci
Doctrinam extruſit regno, diuinaq; magni,
Relligionis amans, adamauit ſcripta Lutheri.
Hinc pater Albi viros mittis, quos munere docti
Dijs æquant ſuperis, horumq; ex agmine claros
Chriſtianus virtute legit, qui grandia vertant
Scripta viri, verbiſq; alijs ſacra Biblia mutent.
Quos deinceps pretijs onerat, proceresq; regendis
Conſtituit templis, lumenq; errantibus addit.

Biblia in Danicum idioma conuerſa.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 287 [35,-177 4°]

Fortunate ſenex, longos tu Neſtoris annos
Viuere dignus eras; cælo tua nomina tollit
Haunia diues opum, ſed dulcibus Haunia Muſis
Ditior, iſta ſcholæ dum legibus atria firmas,
Pieridumq; illic das intemerata iuuentæ
Otia: mirantur Nymphæ Aönos, Aönos horti
Viuaces ſeruant Lauros, hederaſq; virentes.
Nec tamen imperij terras, populumq; regendi
Cura minor; quod enim magno venerabilis orbi
Sol auctor lucis nitidæ (dum fata ſinebant)
Hoc populis fuit ille ſuis, placidèq; parentis
More pij patrijs regnum defenderat alis,
Iuraq; diuitibus penſabat lancibus æquis
Pauperibuſq; ſimul, donec quem fata dederunt
Abſoluit curſum, mortaleſq; exuit artus.
Qualiter aönium moribundo gutture carmen
Horam mortis præ di- xit.
Fundit Olor, properæ mortis non inſcius horæ:
Haud aliter fati tempus Rex ipſe futuri
Præſcius, ante obitum cecinit, luciſq; reliquit
Intuitus. date thura viri, date præmia vitæ
Cælicolæ, date Pïerides, date munera Nymphæ
Spirantem Caſeam, Violas, Amarantha, rubroſq;
Armerij flores, & odoriferas Melilothos;
Ipſe fuit, cui veſter honos, regniq; corona
Aönidumq; decus, cui ſacra volumina curæ.
Verum cæleſtes placidis cum Manibus aras

Æthe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 287 [35,-177 4°]

Æthereaſq; colit ſedes, & culmina cæli;
Pectoraq; Heroum nunc inter millia viuit.
FILIVS inde ſatus, magni poſt fata parentis Fridericus II,
Succeſsit regno, pietate animoq; parentem,
Nomine auum referens, qui quondam fortibus auſis
Chriſtiani vt regnum Regis bellator adiret,
Finibus inductas acies auertit, & hoſtem.
Hic patris exemplo, diuinis eruta quondam
Scripta voluminibus refouet, ſectaſq; peroſus
Nobile Cælicolûm facit increbreſcere nomen,
Numinis ætherei memor, ingenÿq; parentis.
Quicquid & â rerum cura grauiore relictum eſt
Temporis, hoc populis defert, & legibus vrbes
Exornat nitidis: tanto pietatis amore
Iuſticiam colit, atq; animo iura ardua penſat.
Præmia quis demum numeret, quis munera dicat
Quoſq; dedit ſtudÿs ſumptus, vetus vſq; reſurgat
Artis honos, redeantq; optatæ in priſtina Muſæ?
Felices animæ, quibus hoc ſub lumine naſci
Contigit, & tanti Regis defendier alis!
Holſata poſteritas hæc olim facta ſonabit,
Et qui Mænaleo viuent ſub ſidere Dani.
Nec tamen interea Regem Mauortis honores
Egregÿ effugiunt: ſic ille paratus in omne eſt.
Huic etiam peditum cuneos, equitumq; cateruas
Frigoris expertes Suecorum duxit in agros,

Clara-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 287 [35,-177 4°]

Claraq; compenſans atauorum facta ſuorum
Dithmaricum fractis compeſcuit hoſtibus orbem.
Cingite vos Lauris serio ſacra cingite Muſæ
Tempora, perpetuos vtq; illæ frondis honores,
Quamuis perpeſſæ pluuias & frigora, ſeruant:
Sic etiam pulcrè vireat Rex noſter, & ipſis
Longè atauos factis, atq; annis Neſtora vincat.
Regibus his cœlo caput extulit inclyta, quæ nunc
Dania, per totum factis illuſtribus orbem
Se trahit, & regum Cymbris hunc imputat ortum.
Inter eos alter FRIDERICVS nominis hæres,
CHRISTOPHORI iam nunc pacti non immemor, oras
Vſq; ad Coldingæ pontem, quaſq; ipſe Liuoldi
Vortice ſpumoſo tumidus nunc diſſecat amnis,
Holſaciæ ſubdit dominis, & debita poſcit
Inſuper: hinc pacis placidus noua fœdera Cymbris
Ingreditur, firmaſq; parat coniungere leges.
Hæc ne longa dies voluentibus atterat annis,
(Vt ſolet) atq; altè tenebris ingrata recondat
Poſteritas, vos hæc memores ſeruate Camænæ.
Sed (veluti præſens vocet in certamina Mauors)
Spiritus impulſu tandem ſtrepit ænea cantu
Machina, iamq; canunt litui, taurinaq; longè
Tergora dant acrem ſonitum, forteſq; videmus
Continuis equitum turmis procedere Cymbros.
Inde auræ aëreæ ſtrident, telluſq; remugit

Dithmaria capta.

Qua=

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 287 [35,-177 4°]

Quadrupedum pulſu: nec non in millibus ipſi
Ductores oſtris equitant, panniſq; decoris;
Et genus Olpniſæ, Prætzæq; inſpector, & ille
Ioannes, terræ Holſatorum florea proles.
Ollis nanq; rei priſcos prætendere ritus
Obtigit, atq; animis perſoluere iuſta, ducumq;
Nomine præſtare obſequium, manibuſq; tenere,
Quæ more antiquo capient ancilia Rege.
Aſt vbi iam patriæ terris venêre relictis
Balthica remigeri ſeruant vbi flumina nautæ,
Flumina, quæ cunctis illa regione neceſſe eſt
Remigio premere, atq; vndis ſe credere apertis;
Quos Zonas petere extremas, & regna videre
Danica, & imperij terras iuuat ire per omnes:
Hinc iter incœptum expediunt, ventiſq; ſecundis
Labitur vncta vadis arbos, feruentiaq; Auſtris
Æolus ê regno veniens loca deſerit, atq;
Immemor imperij, ſocios in carcere claudit,
Eurumq;, Zephyrumq; ſimul, Caurumq;, frementemq;
Illuſorem operum Boream: mirantur & vndæ,
Miratur Tethys ipſa viros, miratur & altis
Neptunis pater in ſcopulis fulgentia longè
Arma virûm; nec iam madidum caput abdit Hybiſco.
Non procul interea ſe ſuſcitat aribus alis
Optimà Danorum legio, nubemq; relinquit
Pulueream, crebroq; iterum pulſata gemiſcit

Ioannes von der Wiſche. Benedictus de Aleueldt Pretze præpoſ: Ioannes Blohem.

Tellus equûm pulſu, ſtridentq; hinnitibus auræ
Aëreæ, fractiſq; iterant vaga nubila voces.
Tum verò nitido circumſpicit omnia vultu,
Qualiter occidui ſeruans Leo cardinis vndas
Pegaſeos luſtrat radijs fulgentibus ortus,
Rege ſatus, gaudetq; equitum ſplendore, iubetq;
Ordinibus lectos aduerſæ nuncia parti
Læta referre viros, & pacis dicere leges.
Ipſe, humeros framea nudans & cuſpide, Mauors
Militiæ tales habitus miratur, & arma.
Atq; vt iam demum coram data côpia fandi,
Congreſsi iungunt dextras, vnoq; feruntur
Ordine Danorum requies, & fortis Adolphus,
Rendes-burg. Halſenumq; decus, Reinnoldiq; optimus arcis
Othen-ſche. Cultor; Othonigenæq; vrbis ſub mœnia tendunt.
Verum vbi iam croceo ſuffundit lumine terras
Poſtera lux, lituiq; acres Ottonis in vrbe
Dant ſignum, lætati animi: ſtipataq; plenis
Agmina ſe domibus fundunt. hinc Danicus omnis
Holſaticuſq; ruit, poſitis iam fortibus armis.
Et veluti tremulis ſtridorem concitat alis
Vulgus apum, patrijs vt iam de ſedibus exit:
Haud aliter denſum ſubitus ferit æthera clamor.
Vixq; ſuis ſtabant pulchrè cælata figuris
Atria, vixq; ſua theatrum ſtatione locârat
Fabrile ingenium in plateis, vbi plurima ſuaui

Murice

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 287 [35,-177 4°]

Murice terra rubet (regalis ſplendor) & ecce
Quingenta Heroum præſtantia pectora cætus
Per medios volitant: inter quos vertice ſupra es
Maxime Danorum ductor, quo ſoſpite nunquam
Res equidem regni victæ, ſedeſq; videntur,
Martia dum pelago & terris tibi iungere caſtra
Rex Suecus parat, & fines circumſonat armis.
Tum vero accurrunt iuuenes, teneræq; puellæ
Annoſiq; nimis patres: pars tecta domorum
Obſedêre: alij theatris ſublimibus aſtant,
Eximioſq; Ducum vultus, Regiſq; decorem
Mirantur, tacitoq; actum clamore ſalutant;
Ipſe, velut fuluo radians Hiacyntus in auro,
Dum medijs nitet agminibus Norueggicus HEROS,
Holſaciæq; Duces: circum hos vtrinq; coronæ
Apparent Procerum denſæ, quas plurima vulgi
Pectora circumſtant, ſtudijq; HENRICVS amator
RANTZOVIVS patria coram virtute coruſcat;
Olli nanq; rei metas Rex ipſe gerendæ
Tradiderat, proprioq; aſtantem inſtruxerat ore.
Mollibus eſt theätris ſedes extructa tapetis,
Quam non maieſtas tantum pulcherrima ligni
Expolit; at pingit color & fulgens orichalcum:
Hanc lux vt vidit Danûm clariſſima gentis
Occupat, & poſthac meritos aſſumit honores.
Exin quæ medijs, paruæ geſtamina menſæ,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 287 [35,-177 4°]

In theatris ſplendent, manibus ſceptra ardua tractat,
Ornatum Regis proprium, capitiq; Coronam
Induit eximiam gemmis; & Epomide fulget:
Immenſi ante oculos orbis pulcerrima longè
Dum nitet effigies, altiſq; monilia pendent
Aurea, pectoribus demiſſa; incedere diuos
Hoc ego more putem; tanta eſt reuerentia cultus.
Dehinc tria nobilium præſtantia pectora pulcro
Interea incedunt habitu, mixtoq; feruntur
Ordine; deinde Ducum ſuſcepta negotia tractant.
Nec mora, RANTZOVIVS, mihi fas regalia ferre
Iuſſa ait, atq; ipſo commiſſa ancilia Rege
Ioannes von der Wiſche in Olpniſſe. Artificumq; leui manibus de Sindone texta
Arripit: hinc clarus proauis OLPNISIVS hæres
Ordine præcedit iuſto, tellureq; ſupplex
Ter genibus cumbit flexis, ſpondetq; perennem
Porrectis pacem digitis, & debita Regi
Obſequia impendit, quæ nulla redarguet ætas,
Dum res Holſaticæ ſtabunt: cui poſtea mollem
Rantzouius Parmam attribuit. ſed more recepto
Emicat in Parma glauco depicta colore
Area, quam fuluo veſtit diadema metallo.
Benedictus de Aleueldt pret: præpoſitus. Nec minus ALVELDVS Benedicti nomine gaudens
Cominus incedit, mandataq; iuſſa capeſſit
Adolphi ducis: & flexo iam poplite terram
Vt premit, hinc etiam digitis ſacra fœdera firmat.

Poſtea

Poſtea fulgentem molli de Sindone Parmam
Accipit, in cuius medio tria forte leonum
Pectora conſtituunt clypeum, panduntq; cruenta
Ora ſimul, grandeſq; iubas ceruice recondunt.
Tertius ante alios habitu nitet ipſe ſodales,
Floſculus Holſatici longè pulcherrimus agri,
IOANNES: qualis croceum quæ flaua ſub ortum
Auricomos trahit ad Solem Calendula flores;
Haud aliter culti dulcedine præditus oris
Eloquijs res ipſe aptat, dum credita ritè
Perficit, atq; Ducis iunioris tranſigit acta.
In Parma clypeus clarumq; inſigne Ioannis
Cernitur, atq; huius ſtirpis prætendit honorem.
Protinus expediunt ritus, Parmaſq; volantes
Principibus tradunt, tandemq; ex agmine toto
Applaudunt equites, ſimul intractabile vulgus
Clamorem ingeminat magnum, cæloq; reſultat
Plauſus, & ingentes fremitus ad ſidera tollunt.
Olli auro pulcras rutilo, puraq; nitentes
Sindone corripiunt, manibuſq; ad nubila mittunt
Inſuper. hinc populi accenſi (memorabile viſu)
Intendunt theätris animum, fremituq; fugaces
Inceſſunt, lapſæ donec voluuntur, & ipſas
Iam partes in mille ſecant; quos Danicus auctor,
Antiquum vt poſſit rebus prætendere morem,
Et memorem factis illuſtribus addere famam,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 287 [35,-177 4°]

Exornat pretio, doniſq; accendit opimis.

His ita tranſactis, equitum rex ipſe Magiſtros
Conuocat, & fictæ tandem præludia pugnæ
Prima parare iubet, ſi quando aduerſa vocarent,
Pugnæ effigiem edunt. Vt belli poßit vires inquirere: at illi
Haud ſecus vt iußi faciunt, ſimulachraq; pugnæ
Incipiunt, animiſq; cohors certantibus omnis
In cuneum coit (horriſonum uelut agmine facto
Ferueret iam Martis opus) pars vertice ſummo,
Et pedibus ſunt ſuprà imis, tumidaſq; frequenter
Nequicquam ſimulant iras, cupiuntq; timeri.
Pars manibus, generoſa phalanx, & corpore toto
Prolapſis turbantur equis, virtutibus acti
Dum curſu nimium celeres rapiuntur, & illos
Vngula dura quatit, mediiſq; relinquit arenis:
Pulueribuſq; enſes ſquallent, phaleræq; decentes
Frenaq; fulgenteſq; iubæ: pars curſibus auras
Præcedunt celeres, laudumq; arrecta cupido
Nec non magnanimo generoſa in pectore virtus
Certatim exuperant: illos plaudentibus alis
Gloria ſumma vehit, cæliq; in vertice ponit.
Nec minus intenſo quatientes corpora motu,
Paleſtram exercent. Expediunt operas pugiles, ſaltuq; periti
Enſibus atq; haſtis lethalia vulnera miſcent.
Ipſi etiam inter ſe ductores omine dextro
Edunt effigiem pugnæ, frameaq; recincti

Lanci-

Lancibus arrectis ſparſa luctantur harena:
Qualiter æſtiuo glacialis tempore grando,
Dum genus arboreum ruit inter, & ardua ſaxa,
Stridorem parit: haud aliter fracta ictibus ipſa
Arma ſonant: iam præcipiti certamina curſu
Inſtituunt, ſolitoq; ad metas more feruntur — Curſu certant.
Quadrupedum nixu; & quouis de pignore certant,
Innumeriſq; ſtudent tempus conſumere ludis.
Sed iam ſiderium Phæbus permenſus olympum
Occidit, atq; diem maioribus Heſperus vmbris
Turbat, & ecce leues rutilo ſplendore coruſcant
Incenſæ flammis tædæ, ſeq; ordine pulchro
Iàm laſsi miſcent equites, quos deinde ſequuntur
Ipſi ductores, pariterq; ad tecta volutant.
Interea largo famuli conuiuia luxu
Expediunt, ſedeſq; oſtro pictiſq; tapetis
Et multis ornant herbis: hinc Aſphodelumq;
Menthamq;, Melilothaq;, Dyptamaq;, Origanumq;
Tota domus redolet. ſpirantes Balſama lymphas
Dant manibus iuuenes; menſas crateribus altis
Atq; epulis onerant alij, longoq; frequentes
Ordine diſcumbunt proceres, cytharæq; tubæq;
Increpitant, nec non pueri diſcrimine vocum
Atria permultent variò, dapibuſq; remotis
Agmine ſè miſcent vno, plauſuq; ſecundo
Iàm pedibus fingunt choreas, oblitaq; ludi

Lætati

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 287 [35,-177 4°]

Lætati ſimulachra nouant, iam grandia dicunt
Facta atauûm; quantumq; inter ſe ſauguine diſtent
Commemorant, longoq; inſtaurant fœdere leges.
Ipſæ etiam CHARITES, quæ prima ab origine ſummas
Heroum ſtirpes, & facta illuſtria condunt
Flexibiles certatim hederas, & carmina, mollis
Ingenij monumenta, ferunt, memoreſq; recenſent
Et genus & regum proauos, omenq; futuri
Fœderis; idq; olim natos legiſſe iuuabit.
Salue optata dies: iterum pax aurea terris
Alis applaudit lætis, procereſq; ſalutat,
Iam paleis ornata caput, dum legibus æquis
Et ſe perpetuo parites dum fœdere iungunt.
At ne longa dies pacem hanc, ne fœdera rumpat
Quo res cunq; cadant, nec eos vis vlla volentes
Auertat, fac diue Pater, qui ſidera nutu
Dirigis, & verbo totum moderaris olympum:
Sic pietas, ſic ſalua fides, ſic aureus orbem
Pacis alumnus amor, ſic proſpera cuncta manebunt.

VERSVS ANNVM COMPRÆHENdens, qui collectis ſignificatiuis literis illiſq; per 8. Arithmeticis legibus diuiſis, in quotiente emergit.

EXtrahe LItterVLas IVſta ratIone notatas,
AnnVs erIt præſens De qVotIente ſVper.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 287 [35,-177 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 287 [35,-177 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 287 [35,-177 4°]

HARRY LARSEN

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 287 [35,-177 4°]